

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Theologica universa - Ettenheim-Münster 108 - Tom. II

Cartier, Gallus

[S.l.], 1795

Caput 3tium

[urn:nbn:de:bsz:31-111018](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-111018)

118.
104
Byp 59

Caput 3^{ti}um
De Necessitate Incarna-
tionis.

Solent hū plerumque Theologi
Necessitatem dividere; in Strictā, et
latē Sumptam. Strictē Sumitur, in-
quirunt, cum res ita existit, ut non
possit non existere; latē verō, cum deest et
convenit rem esse, ita tamen, ut absolute
loquendo, possit non esse; hæc necessitas verō,
nostro quidem iudicio, potius simpliciter
congruentia aut convenientia, quam neces-
sitas dici debet, licet enim omne necessari-
um, eo, quo hūc Sumitur sensu, congruum
ac conveniens sit, non tamen omne con-
gruum et conveniens necessarium est. Ve-
rū, quoniam sic necessitatem distri-
buere volunt Theologi, et nos cum ipsis
velimus. Igitur hūc quaerunt

Theologi, an Incarnatio necessaria fuerit
necessitate latē Sumpta, id est, an Deo et
homini congrua et conveniens fuerit
non modo, sed etiam, saltem ex parte
hominis necessaria necessitate Stric-
te Sumptā. rem cā, quā poterimus
brevitate conficiemus. Sit ergo

105.

S. Primus.

Utrum Incarnatio neces-
saria fuerit necessitate latē
Sumptā.

Sed an ea Deo et homini con-
grua et conveniens fuerit?

Sat multa hū implere solent
Theologi, qui ostendant, Incarnationem
Verbi tam Deo, quam homini fuisse con-
venientem et congruam: Deo quidem, quia
bono infinito, quale est Deus, maxime con-
venit, ut se ipsum diffundat ac communi-
cet

modo praestantissimo, nullus autem Incar-^{119.}
natione praestantior inveniri possit.

Et quia etiam in augustissimo istius In-
carvationis mysterio Summo fulgore res-
plendent omnes divinae perfectiones, im-
primis Omnipotentia, cum Deus duas
naturas tam extremas ac distantes intimè
conjungit, sine ulla tamen confusione
ac permixtione, servatis uniuersis suis
affectionibus ac proprietatibus; unde
mysterium hoc per excellentiam appella-
tur Opus Dei, Habac. 3. v. 2. Et B. Virgo Luc. 1.
v. 49. ait: fecit mihi magna qui potens est.
lege S. Leonem Serm. 1. De Nativ. c. 2. S. Aug.
Serm. olim 56. De Diversis, num. 184. De Temp.

Sapientia, 1. cum adinventus est modus
planè Divinus conciliandae iustitiae divi-
nae cum eius misericordiae salvis utrius-
que juribus. vide dicta in prooemio huius Tra-
tatus. 2. Summum profectò divina Sa-
pientiae opus in eo est, quod ipso peccatò, quo
Damon unus fuerat, ut hominem perderet, De-
us ipse unus fuerit tanquam occasione, ut eun-
dem saluum faceret, omnemque Damonis spem
eluderet, et, ut canit Ecclesia, ars ut artem
falleret, et medellam ferret inde, hostis un-
de laererat. Inapropter culpam hanc feli-
cem appellat Ecclesia, quae talem ac tan-
tum meruit habere Redemptorem. 3.

Cum Deus perfectissimus sit, nec quidquam
possit ipsi accrescere, unde perfectior eva-
dat, mirò tamen Sapientia divinae ara-
rio, homo Deus gratia et Sapientia, sicut
etate, proficere dicitur, Luc. 2. v. 52. 4.
Denique, per incarnationem Deus Sapien-
ter rationem adinvenit tum amplifican-
do sua gloria ipsa proprii filii demissio-
ne: tum temperandi naturae suae plen-

Naturam omnipoten-
tem ad humana na-
tura vilitatem po-
tuisse descendere, ma-
ius est potentiae argu-
mentum

2. 58.

120. Ioris, quem ferre homines non potuissent, nisi velo humanitatis obductus fuisset; tum denique morte sua demonis debellandi.

Bonitas et misericordia Dei in isto mysterio imprimis emicant. Apparet, inquit Apostolus, ad Titum, 3. v. 16. Benignitas et humanitas Salvatoris nostri. Et Joan. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Et verò, si, ut ait Christus Joan. 15. v. 3. maiores hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, quanta est Dei benignitas et clementia, ut etiam pro impiis et inimicis redimendis filium suum morti acerbissima tradiderit.

Justitia Dei in Mysterio Incarnationis jura sua rigorose vindicat, quam tam severas poenas de Christo repetit, in ultionem nostrorum peccatorum, pro quibus vadem se constituit. Verè languores nostros ipse tulit, ait Isaias, c. 53. v. 4. et dolores nostros ipse portavit.... ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Et Rom. 3. v. 25. quem proposuit Deus pro propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae, propter remissionem precedentium delictorum.

106. Homini verò Incarnationem congruam ac convenientem esse ostendunt Theologi nostri, ex innumeris beneficiis, quae ex verbo Incarnato ad nos defluerunt; ut 1. gratia sanctificans, per quam filii Dei sumus,

121
heredes quidam Dei coheredes autem Christi,
Rom. 8. v. 17. Si tamen compatimur, ut et
conglorificemur. Peccatorum remissio,
aeternae gloria adeptio, p. 2^o. Doc-
trina coelestis, quam Unigenitus, qui est
in Simi Patris, nobis enarravit. 3^o.
Liberatio à servitute Demonis, qui adve-
niente Christo, foras ejectus est. 4^o.
Virtutum omnium exemplum maximè
humilitatis, quam in remedium innatae
nobis superbiae Christus tam sedulo in to-
to huius mortalis vitae curriculo coluit
et observavit. 5^o. Natura nostra
exaltatio, ac sublimatio, quae ex inti-
mâ sui cum Verbo conjunctione ad tam
sublime perfectionis ac dignitatis fas-
tigium exalta est, ut quò altius attol-
latur, non habeat. ait S. Augusti-
nus, lib. De predest. 33. c. 15. 6^o.
Eiusdem naturae nostrae depravatae
ac deperditae reparatio per Christum,
qui delevit chirographum mortalita-
tis nostrae. Iustificati gratis per gra-
tiam ipsius, inquit Apostolus non lauda-
tus, per redemptionem, quae est in Christo
Jesus, quem proposuit Deus propitiationem
per fidem p. 7^o. facilis et aper-
tus ad Deum accessus per Christum, i. Joan.
2. v. 1. Advocatum habemus apud Patrem
Jesus Christum, iustum: et ipse est pro-
pitiatio pro peccatis nostris, non pro nos-
tris autem tantum, sed etiam pro totius
mundi. Et Rom. 8. v. 34. Jesus Christus,
qui mortuus est, immò qui et resurrexit, qui
est ad dexteram Dei, qui etiam interpel-
lat pro nobis. Carnem nostrae Simi-

122. lem, iisdemque humana vita miseris
obnoxiam Verbum assumere voluit, ut
hac infirma carnis similitudine, majori
Spe ac confidentiâ ad Christum auerere-
mus: Non enim, ait Apostolus, Heb. 4.
v. 15. habemus Pontificem, qui non pos-
sit compati infirmitatibus nostris, ten-
tatum autem per omnia pro similitu-
dine, absque peccatô. 8^o. Bono-
rum ac malorum temporalium Despicien-
tiam nobis exemplo suo Christus commen-
davit. Omnia terrena bona contempsit
homo, factus Dominus Christus, inquit
S. Augustinus, lib. De Catechiz. rudibus,
c. 22. n. 40. ut contemnenda monstraret,
et omnia terrena sustinuit mala, quae
sustinenda praecipiebat, ut neque in illis
quaeretur felicitas, neque in istis infe-
licitas timeretur.

Quantum pariter toti Universo
Decoris ac ornamenti attulerit Incar-
natio, probat Apostolus, Ephes. i. v. 10.
ubi ait, omnia per Christum instaurata
fuisse, quae in caelo, et quae in terra sunt.
Et Ioan. 3. v. 16. dicitur: Sic Deus dilexit
mundum, ut unigenitum filium suum
daret.

107. Haec et alia fuse Theologi, ut os-
tendant, Incarnationem Verbi Deo et
homini congruam ac convenientem fuis-
se, quae unio hoc argumento concludi
posse arbitramur. Factam à Deo Verbi
Incarnationem priori Capite humiliter
demonstravimus. Ergo tum ipsi, tum
homini conveniens fuit et congrua. Deus
enim omnium perfectionum unigeni-

nere cumulatissimus, prout tum in Meta-¹²³
physicâ, tum in Theologia nostrâ Tracta-
tu de Deo ostendimus, nihil nisi quod tum
ipfi, tum homini conveniens est et congru-
um, efficere potest, namque id omne, quod
inconveniens et incongruum est, imperfec-
tionem involvit.

S. Secundus.

108.

Utrum Incarnatio necessaria
fuerit necessitate Strictè Sumpta?

Necessitas Strictè Sumpta dividi
solet in absolutam seu simpliciter talem,
et hypotheticam. Prior est independens
à quavis suppositione; posterior è
contra ab aliquâ suppositione pendet.

Priori necessitate Solus Deus est ne-
cessarius, ut qui Solus sit ens per se et ab-
solutè necessarium, prout in Tractatu de
Deo ostendimus, Ego sum qui sum, ait
Deus ad Moysen; et Moyses ad Filios Israël,
Qui est misit me ad vos, Exod. 3. v. 14. Cæ-
tera vero sunt entia contingentia, à Deo
liberè condita; ex quo sequitur, Incarna-
tionem Verbi prout unionem cum natu-
rà humanâ connotat, non simpliciter
et absolutè necessariam esse: enim verò, cum
Dei beatitudo et gloria intrinseca sint
omniò independentes ab operibus ipfius,⁴
ad extra*, cuiusmodi est Incarnatio,
quippe per quam Verbum quasi extra
se exiit, agendo scilicet in humanam
naturam, quam terminat ac substan-
tialiter perficit; hinc sequitur mani-
festè, Deum ~~non~~ potuisse non incarna-
ri.

Questio igitur hæc solùm est de ne-
cessitate Incarnationis hypotheticâ, que

* Deus, cum sit infi-
nitè perfectus, suffi-
cit sibi ipfi, nec uldâ
re extra se ipsum po-
sitâ illi opus est, ut
summâ beatitudine
fruat, alioquin à
rebus extra se positis
penderet, quod dictum
impium est.

124 Sicut ex Suppositione aliqua pendat, seu
suppositum quoddam sequitur. Haec eti-
am duplex est, una simplex, altera vero
secundum quid; quod enim ex hypotensi
necessarium est, vel simpliciter ad finem
assequendum necessarium dicitur, qualis est
cibus et potus ad conservationem vitae;
vel necessarium duntaxat secundum quid,
ad finem facilius comparandum, qualia
sunt alimenta melioris suavi, ad eandem
vitae conservationem.

109. Queritur ergo, num Inuarnatio
Verbi ex Suppositione et hypotensi lapsus ho-
minis in peccatum, necessaria fuerit neces-
sitate absoluta, et simplici?

Respondent communiter Theologi
negativè: 1^o Quia certum est ex Scriptu-
ris, opus redemptionis humanae planè gra-
tuitum esse, ac purum divinae misericor-
diae beneficium. Joan. 3. v. 16. Sic Deus di-
lexit mundum p. Rom. 3. v. 24. Justifica-
ti gratis per gratiam ipsius per redemptio-
nem qua est in Christo Jesu. Ad Titum
3. v. 5. Secundum suam misericordiam sal-
vos nos fecit. Ephes. 1. v. 5. Prædestinavit
nos in adoptionem filiorum per Jesum
Christum in ipsum, secundum propositum
voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae
suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio
suo, p. Ergo Inuarnatio non fuit neces-
saria necessitate absoluta et simplici.

2^o Quia omne opus externum
est Deo liberum. Atqui Inuarnatio est
opus externum. Ergo. 3^o Nuda fini-
gi potest necessaria ~~conditio~~ connexio in-
ter lapsum hominis, et voluntatem Dei

4. 60

illum reparandi. Nam sicut liberè peccavit homo, ac liberè lapsum ejus Deus permittit, ita liberè potuit illum in massâ perditionis relinquere: nulla enim inde in Deum imperfectio, nulla positiva resultaret indecentia. 4^o Nulla major in Deo esse potest necessitas redimendi ac salvandi homines lapsos, quam Angelos Superbos ac rebelles. atqui istos à lapsu non erexit, nec salvos fecit, prout omnes norunt, nosque in Tractatu nostro de Angelis adnotavimus. Ergo. 5^o Deus ad gloriam suam nobis non indiget. Ergo nec ipsi necesse fuit, ut pro nobis incarnaretur. 6^o Denique, quia etiam supposito Deo liberandi homines à peccato, Deus potentia sua absoluta et saltem extraordinaria potuit eos aliter liberare, quam per Incarnationem, vel peccatum sine ulla Satisfactione condonando, vel opera creature alicujus in Summo Sanctitatis gradu constituta acceptare in Satisfactionem pro peccatis hominum, non condignam illam quidem, sed imperfectam, multum remittendo de jure suo. infinita enim et inexhausta est ejus potentia, cui limites ponere non utique valeamus, idque nobis sufficere debet, quod multo plura possit Deus, quam nos exigitare valeamus.

Quod si verò de ordinaria Dei potentia, et jure virtutibus temperato, seu ex legibus divinae justitiae, necnon condignâ pro peccato hominis Satisfactione sit questio, tunc tuerentur iidem Theologi, Incarnationem fuisse simpliciter et absolute necessariam.

qua pendet, hinc
 altera vero
 m ex hypothese
 inter alios
 dicitur, qualis
 rationem ista,
 mundum quid
 andum, qualis
 ui, ad eandem
 m Invari
 otheri lap
 ra fuerit
 inter Theolog
 est ex scriptu
 mans plane gra
 ine misericor
 v. 18. Sic Dom
 v. 24. Justit
 us per redempti
 ue. Ad Titu
 ybricordiam
 s. 6. Si est
 rom per Jesu
 dum propo
 gloria patri
 nos in dicitur
 non fuit necess
 t. Simplici
 apus extenu
 incarnatio est
 3^o Nulla pu
 tes commissio
 duntatione

Probant ad id testimonium SS. Pa-
trum. S. Irenaeus, lib. 3. c. 18. alios 20. Nisi
homo, inquit, conjunctus fuisset Deo, non
potuisset participare fieri incorruptibilitatis.

S. Athanasius, orat. de Incarnatione
Verbi, de Filio Dei sic loquitur: Cum Ba-
tris sit Verbum et supra omnes, merito
etiam solus omnia recuperare potuit, et
idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur.

S. Basilius, in Gal. 48. Neque enim,
inquit, fratrem in redemptionem querit,
sed unum aliquem, qui nostram expe-
ret naturam: non item hominem mu-
dum, sed hominem Deum Jesum Chris-
tum, qui solus pro nobis omnibus Deo
propitiationem dare potest.

S. Cyrillus Alexandrinus, Dialogo
de Incarn. unigeniti, Apprehendit Deus,
inquit, non propriam ac peculiarem na-
turam: neque enim quidquam ad nos
utilitatis pervenisset: sed neque Ange-
lorum, sed semen Abrahae, sicut scrip-
tum est, Ita enim et non aliter genus
ad perniciem devolutum instaurandum
erat.

S. Augustinus, Enchirid. c. 108.
Nemo gloriatur in homine, inquit, ac per
hoc nec in se. Nam neque per ipsum li-
beraremur unum Mediatorem Dei et
hominum Jesum Christum, nisi esset
et Deus.

S. Leo Magnus, Serm. 1. de Nativ.
Nisi esset Deus verus, non afferret reme-
dium: nisi esset homo verus, non pra-
beret exemplum.

Haec SS. Patrum testimonia
intelligenda sunt de potentia duntaxat

Dei ordinariâ p, ut diximus, atque con- 127.
dignâ Satisfactione: ubi enim ipsi de
absolutâ et extraordinariâ Dei potentia
sermo est, ultrò agnoscunt, Incarna-
tionem Verbi absolutè et simpliciter
ad reparandum ac salvandum hominem
cassum non fuisse necessariam, Ita S.
Athanasius, Orat. 2. alias 3. contra Arianos.
S. Augustinus, lib. 13. de Trin. c. 10.
S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 9. Theo-
doretus, Serm. 6. contra gentes. S. Leo,
Serm. 2. de Nativ. p.

5 61
Probant id 2^o. Quia eadem ne-
cessitate Incarnatio fuit necessaria pro
reparatione hominis, quâ necessaria
fuit Satisfactio ad eluendam offensam
Deo per peccatum illatam. Atqui nulla
creatura potuit condignè Satisfacere pro
peccatò hominis, quò Deum offendit, elu-
cendò. Ergò Incarnatio fuit simpliciter
necessaria pro reparatione hominis.

Maj. patet. Min. prob. Satisfac-
tio condigna, seu æqualis offensa est ea,
quæ habet tantum valorem seu existi-
mabilitatem tantam, quantam ma-
litiâ et indignitatem habet offensa
Dei. Sed nulla pura creatura exhi-
bere potest Satisfactionem, quæ tan-
tum habeat valorem seu existimabi-
litem, quanta est malitiâ et indi-
gnitas offensa Dei. Ergò nulla pura
creatura potuit condignè Satisfacere p.

Prob. min. Malitiâ et indigni-
tas offensa Dei est infinita simpliciter,
utpotè infinitam Dei majestatem
et dignitatem impetens, prout ostende-
mus Tomo 3. Theolog. nostræ, in Tra-

128. tate de peccatis. Atqui omnis et quacumque imaginatione apprehendi potest pura creatura Satisfactio finita est, ut pote à principio finito proveniens. Ergo condigna, seu aequalis offensae Dei, quae infinita est, esse non potest.

Igitur ex hypothese, quod Deus potentia sua ordinariam voluerit hominem lapsum reparare per Satisfactionem condignam pro illius peccato, necesse fuit simpliciter, ajunt memorati Theologi, personam divinam incarnari, quae ratione dignitatis suae infinite infinite dignam redderet Satisfactionem, ac proinde condignam efficeret. Non poterat autem persona divina Satisfacere, nisi natura creata intellectiva uniretur; Nam Deus non potest se submittere, nisi secundum naturam intellectivam sibi personaliter unitam.

iii. Solvuntur Objectiones.

Ob. 1^o contra 1^{um} assertum.

Ex Scriptura necessaria fuit Incarnatio, et Passio Christi ad salutem hominum. Ergo.

Resp. Dist. ant. necessaria fuit respectu potentiae Dei ordinariae, et consequenter ad divinum Decretum salvandi homines hoc unico modo, et per condignam Satisfactionem, com. Respectu potentiae Dei extraordinariae, et antecedenter ad illud liberum Dei Decretum, neg. ant.

Ob. 2.^o Patres passim afferunt, In-^{129.}
112.
carnationem fuisse necessariam. Ergo, p.

Resp. ut ad priorem objectionem.
De potentia nempe Dei ordinaria et ne-
cessitate consequente liberum Dei decre-
tum salvandi homines per solam, Incar-
nationem, vel de necessitate conveni-
entia et improprie dicta loquuntur Pa-
tres, volunt sibi et, Incarnationem esse
medium redimendi hominis convenien-
tissimum.

Ob. 3.^o Inconveniens fuisset Ver- 113.
bum non incarnari, cum Incarnatio ma-
ximè conveniat. Ergo Incarnatio fuit
simpliciter necessaria, nam Deus non
potest velle aliquid inconveniens.

Resp. Dist. ant. fuisset inconve-
niens negativè, hoc est minus conveniens
et minus conducens ad Dei gloriam eter-
nam, cone. fuisset inconveniens positi-
vè, hoc est, fuisset aliquid, quod Deum po-
sitivè deduceret, neg. ant. Nam cum
Deus sit per se infinitè beatus et perfectus,
sibi que Sufficientissimus; non indiget glo-
rià externà; unde liberè eam sibi prom-
rat quantam et qualem voluerit.

Ob. 4.^o Deus necessariò fait opti- 114.
mum; agit quippe necessariò ex inclinatio-
ne conformi naturae suae infinitae ac opti-
mae. Atqui Incarnatio Verbi est quid op-
timum. Ergo, p.

Resp. Dist. maj. Deus necessariò fait
optimum, quoad actus suos internos, ut sunt
generatio Filii et productio Spiritus Sancti, p.
cone. quoad actus externos, quos liberè ponit

662

130. extra se, subdist. Semp̄er facit id quod est op-
timum relativè ad suum consilium et fi-
nem, quem sibi pr̄fixit, conc. optimum
absolutè et in omni genere, neg. maj. Aliàs
non tantum libertas, sed et omnipotentia
Deo adimeretur, quæ tota in quolibet ope-
re supponeretur exhausta. Quemadmodum
ergo potuit Deus nihil extra se moliri, quia
liber est; ita potuit, quos voluit perfectio-
nis majoris vel minoris gradus creature sua
impertiri, ad finem, quem intendit, Semp̄er
idoneos et proportionatos, quia et liber et sa-
pientissimus. Nulla igitur lege tenetur
Deus ad id, quod absolutè optimum est, faci-
endum; atque multò alia plura facere,
quam quæ seipsa vult, et quæcumque vult,
potest; siquæ eo sensu Deus necessariò fa-
cit optimum, quod necessariò agat absque
ullo defectu, et assumat media optima, seu
aptissima ad assequendum finem à se effi-
caciter intentum. Legi potest hæc de re S.
Augustinus, Enchiridii c. 95. et lib. de natu-
rà et gratià c. 7. Item lib. 3. de libero arbitrio
c. 5. ubi observat, rebus etiam non ita per-
fectis nihil esse melius ad ordinem mundi
constituendum, cum ille ex variis rerum gra-
dibus efflorescat; atque credendum sit, De-
um ex optimâ Semp̄er ratione operari, tam-
etsi in rebus factis id non deprehendamus.

135. Inst. 1.º Si Deus non eligeret Semp̄er
id quod est absolutè melius, non esset sapien-
tissimus artifex in actu secundo, sed tantum
in actu primo. Atqui hoc implicat. Ergo, p.
Resp. neg. maj. Sufficit enim, ex
mor dictis, quod quæ facit Deus, optima sint,
et idonea maxime ad finem, quem inten-

dit asequendum: unde voluntas eius sola ^{131.}
est regula ac mensura perfectionum, quas
creaturis communicat. omnia quaecumque
voluit, fecit, Psal. 113. v. 3.

Inst. 2.^o Si Deus posset velle extra ^{132.}
se objectum minus bonum, posset incurrere
imperfectionem moralem: nam homo hanc
incurreret, eligendo minus perfectum, omisso
perfectiori. Ergo à fortiori Deus.

Resp. neg. ant. et paritatem. Ratio
disparitatis est, quia non omnes actus volun-
tatis humanae habent aequalem perfectio-
nem moralem: nam ille, ceteris paribus, est
moraliter perfectior, qui perfectius objec-
tum habet. Unde electio objecti minus bo-
ni est minus perfecta: et consequenter sic
eligens caret aliquâ perfectione, quam ha-
bere potuisset; ideoque imperfectionem
moralem negativam incurrit. At omnes
actus voluntatis divinae aequalem habent
perfectionem moralem, licet habeant ob-
jecta inaequaliter perfecta: nam omnis ac-
tus liber Dei infinitam habet honestatem
ac laudabilitatem; omnis enim tendit in
objectum suum modo infinite honesto,
ac laudabili, quia vult objectum propter
bonitatem divinam infinite ac perfectissi-
mè amatam, quo nihil honestius ac lau-
dabilius esse potest. Unde actus, quo Deus
vult objectum minus perfectum in se, non
habet ullam imperfectionem negativam.

Ob. 3.^o Debet esse aliquid in rebus ^{133.}
creatis ipsis, quod respondeat dignitati et
excellentiâ actionis opificis, quae infinita
est. Atqui sola Verbi Divini incarnatio huic
infinitae Dei perfectioni respondere potest.
Ergo p.

Resp. neg. maj. Causa etenim effectu suo nobilior quidem est, non vero effectus causa; aut saltem effectus causa sua perfectionem ac nobilitatem non adaequat. Unde Deus, inquit S. Augustinus lib. 1. de genes. ad litt. c. 5. ita magnus est in magnis, ut minor non sit in parvis; quae parva non habent granditatem, nam nulla est, sed artificis sapientiam metienda sunt.

Ob. 6^{to} Qui se amat amore infinito, qui omnia propter semetipsum operatus est, ac gloriam suam in omnibus, tanquam finem intendit, ille gloriam naturae suae con- dignam seu proportionatam, id est, infinitam, proponere sibi debet. Atqui Deus amore infinito se amat, omnia propter semetipsum operatus est, ac gloriam suam in omnibus tanquam finem sibi proponit, ex sola autem Inarnatione gloriam infinitam peripere potest. Ergo, p.

Resp. Dist. maj. Qui se amat amore infinito, et qui omnia propter semetipsum operatus est, ac gloriam suam in omnibus, tanquam finem intendit ultimum creaturarum, aut propter gloriam suam, cui tanquam fini creata omnia subservire debent, ille proponere sibi debet gloriam infinitam, essentialem et internam, conc. Externam et adventitiam, neg. maj. Gloria interna et essentialis Deo ab eius naturali excellentia et infinita perfectione non distinguitur: illa semper ac necessario fruatur Deus, quia solus sibi sufficit, ac perfecte beatus efficitur. Gloria vero externa petitur a rebus externis, Dei amore, cultu, laudibus, adoratione p. ista vero Deus non

indigat: Bonorum meorum non eges, ait
David, Psal. 138. v. 2. ut qui ex se se perfecte fe-
lix est, nec illam, ut suum finem proprium
ad quem tendat et referatur, sed potius tan-
quam nostrum intendit. Quid ergo, ait
ad Deum Augustinus, lib. 13. Confess. c. 4. tibi
despet ad bonum, quod tu tibi es, etiamsi
ita vel omnino nulla essent, vel informia
remanerant, quae non ex indigentia fuisti,
sed ex plenitudine bonitatis tuae.

Inst. 1^o Qui se ipsum efficaciter 119.

amat, vult sibi omnia bona non solum
intrinseca, sed etiam extrinseca, quae sibi
comparare potest. Atqui Deus efficaciter
se ipsum amat. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Si sine illis non
sit infinite beatus, con. Si sine illis sit
infinite beatus, neg. maj. Ex dictis, Deus
sibi necessario non vult nisi bona intrin-
seca, quibus est infinite beatus, ac proinde
fieri non potest beatior ullo modo extrin-
seco, nam infinitum augeri non potest.

Inst 2^o Homo qui non procurat 120.

Deo quam maximam potest gloriam, De-
um minus perfecte amat. Ergo etiam
si Deus idem faceret, minus perfecte se
amaret.

Resp. neg. cons. Disparitas est,
quia actus hominis fit perfectior ex ma-
jore perfectione objecti. At actus Dei
cum sint omnes intrinsece infinite per-
fecti, non fiunt magis vel minus perfec-
ti ex maiore vel minore perfectione ob-
jecti extrinsece.

Ob. 7^{mo} Ex infinita Dei bonita- 121.

te sequitur, illum habere infinitam in-
clinationem ad bonum. Atqui quo ma-

134 ior est inclinatio ad aliquid, eò minor est liber-
tas ad oppositum. Ergò cum Deus ex infinita
sua bonitate habeat infinitam inclinationem
ad mysterium Incarnationis, liber non fuit,
ut incarnaretur, sed necessario determinatus
fuit ad Incarnationem.

8. 64
Resp. Dist. maj. Ex infinita Dei bo-
nitate sequitur idem habere ad bonum infi-
nitam inclinationem, entitativè, subjecti-
vè, ac quasi materialiter infinitam, cone.
Infinitam objectivè extra Deum, formali-
ter et appetitivè, quasi necesse sit majus bo-
num à Deo semper alteri bono preferri. neg.
maj. Habet Deus ad Incarnationem, tan-
quam ad rem bonam inclinationem entitati-
vè, seu subjectivè, ac quasi materialiter in-
finitam; at non infinitam objectivè, forma-
liter et appetitivè, quasi vel objectum
istud aut sit in se quoad entitatem infini-
tum, aut alteri cuilibet sit à Deo necessario
preferendum. Atque hinc intelligitur, quo
sensu verum sit, Deum amare infinite ob-
jectum, quod amat; aut quomodo id cum hoc
stare possit, Deum scilicet inter objecta, qua
diligit, aliqua pro aliis diligere. Nempe amor
Dei ad omnia objecta terminatus entitativè
infinitus est, non tamen infinitus appeti-
tivè respectu omnium objectorum.

122. Ob. 3^o. Si supposito peccato Deus non
incarnaretur, vel totum genus humanum
aeternae damnationi addictum remaneret, vel
si salvaretur, scelus impunitum remaneret
et dimitteretur. Atqui neutrum dici potest;
Non enim aliogquam enim ars Diaboli, qui
hominem ad interitum rapuit, prevaleret arti
Dei ipsius, qui hominem creavit, ut bea-

titudine fueretur. Non tiam secundum, cum ^{135.}
dimissio peccati nulla poena castigati, quam-
dam dicit deordinationem. Ergo, supposito
peccato, necesse fuit Deum incarnari.

Resp. neg. min. Ratio est id quia
in perpetua diaboli ex hominibus victoria Dei
justitia in homines quam maxime eluceret.
2. In dimissione peccati, quod nulla poena
castigatum fuisset, misericordia, que nul-
lam poenam exposuit a reo, plurimum com-
mendaretur. Unde in neutro casu aliquid
inordinatum in Deo reperiretur: quod enim
misericordiam deprimere videretur, commen-
daret justitiam, quod autem justitia la-
bem aliquam inferret, misericordiam facer-
et illustriorem.

Just. Merces merito negari non po-
test. Ergo nec poena peccato.

Resp. neg. cons. Disparitas est, quod
meritum acquirit jus persone merenti, pec-
catum vero persona laesa. Deus autem potest
cedere jus suo, remittendo poenas, cum sit
misericors; non vero alterum spoliare
jure acquisito, cum sit justus.

Ob. 9^o contra 2^{um} apertum. 123.
Furtum contra Regem commissum non
est gravius ex dignitate Regis, et persona
vilis potest per eandem restitutionem
satisfacere perinde ac vir nobilis. Ergo
falsum est, offensam crescere ex dignita-
te persona offensa, et satisfactionem
devenire ex vilitate persona satisfa-
cientis.

Resp. neg. cons. Nam agitur hic
de injuria personali, nempe de inhono-

136. ratione et contemptu persona, et de satisfac-
tione strictè dictà, qua est reparatio talis
inhonorationis et contemptus: non autem
de injurià reali, seu in rebus posità, quae
ex quantitate et gravitate rei mensuratur,
neque de restitutione. Unde argumentum
non est ad rem.

124. Ob. 10^{mo}. Plebejus potest multi-
tudine et praestantià obsequiorum satis-
facere condignè pro gravi injurià à se in
Regem illatà. Ergo à pari p.

Resp. trans. ant. neg. cons. Dispa-
ritas est, quia offensa in Regem commissa
non contrahit ex ejus dignitate, quae finita
est, gravitatem nisi finitam, et compen-
sabilem à subdito, nec est superioris ordi-
nis ad omnes satisfactiones subditi. At
gravis offensa Dei contrahit ex infinità
Dei dignitate malitiam ac gravitatem
infinitam simpliciter, et superioris ordi-
nis ad omnes satisfactiones pure creaturae.
Quare offensa Dei contrahit ex infinità
ejus Majestate gravitatem longe majorem,
quam habere possit qualibet multitudo
et praestantia obsequiorum pure creaturae.

125. Ob. 11^{mo}. Purus homo per actum
perfecte charitatis potuit Deo condignè
satisfacere. Ergo ad id Incarnatio non
fuit simpliciter necessaria. Prob. ant.
ut quis perfectè ac condignè satisfaiat,
satis est, ut id Deo reddat, quod peccatum
abstulerat. Atqui purus homo per actum
perfecte charitatis restituit Deo, quod

137.
ipfi per peccatum abstulerat: restitui peti-
mirum Deo rationem ultimi finis, quam ipfi
per peccatum suum abstulerat. Ergo, p.

Resp. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. maj.

Ratio est, quia licet restitutio rei ablata suffi-
ciat ad restitutionem, satis tamen non est
ad condignam satisfactionem, ut videre est
in homine plebejo, quem sane nemo dixe-
rit tunc condignè refarcire injuriam illa-
tam Brinnipi, cum ab illo postea veniam
deprecatur, illique reverentiam exhibet.

Ob. 12^{mo} Purus homo adutus gra- 126.
tia sanctificante potest de condigno mereri
vitam aeternam, ut docet Concilium Tri-
dentinum. Ergo potest quoque pro suo pec-
cato satisfacere.

Resp. neg. cons. Ratio disparitatis
est, quia in merito non attenditur digni-
tas personae merentis, sed tantum digni-
tas operis, quod exercetur: è contra vero
in satisfactione praecipue consideratur
dignitas personae satisfaciens, quia
satisfactio est actus, quo quis se ipsum al-
teri subiicit. Ergo è dignior est satisfactio,
quo persona, quae se subiicit, dignior est,
ac prestantior.

Ob. 13^{to} Tanta est bonitas in 127.
actu charitatis, quanta est malitia in
omissione ejusdem actus precepti, cum
utrumque se habeat ut forma et priva-
tio: nam vita e.g. aequè est bona, ac mors
est mala. Atqui pura creatura auxilio
gratia potest elicere, et offerre Deo ac-
tum charitatis. Ergo etiam condignum
offerre potest pro peccato.

138.

Resp. Dist. maj. Tanta est bonitas,
p. quanta est malitia, p. Si physicè spectentur, hoc est actus charitatis secundum entitatem, et valorem intrinsecum; ommissio vero ut mera privatio actus debiti, cone. Si spectentur moraliter, siliet actus charitatis secundum valorem extrinsecum, et à personâ derivatum: ommissio vero, quantum est offensa Dei à creaturâ proficiens, neg. maj. Bonitas actus charitatis hoc modo spectati, finita est, ommissio vero ejundem est infinita, prior enim à principio à quo elicitur, denominationem suam accipit, posterior autem à principio, quod impetit, prius est finitum, posterius infinitum.

128.

Inst. 1.^o Actus charitatis tantum honorat Deum, quantum culpa mortalis illum inhonorat. Ergo pura creatura potest per actum charitatis satisfacere condignè pro mortali culpa.

Resp. neg. ant. Nam actus charitatis longe minus est aestimabilis in ordine ad honorandum Deum, quam peccatum mortale in ordine ad illum inhonorandum. Honor enim, qui per actum charitatis à purâ creaturâ Deo exhibetur, aestimatur ex dignitate creaturae honorantis, non ex dignitate Dei: contra vero inhonoratio Dei ex peccato mortali orta aestimatur ex infinitâ Dei dignitate, siquè infinitam simpliciter gravitatem habet ex infinitâ ejus dignitate.

129.

Inst. 2.^o Actus charitatis à purò homine justò elicitus tam Deo placet,

quàm ei displicet peccatum mortale. Ergo. ^{139.}

Resp. neg. ant. Nam actus charitatis à puro homine justò elicitus placet Deo ut actus persona finita, et peccatum mortale ei displicet, ut inhonoratio, contemptus, et offensa persona infinita.

Ob. 14^{to} Homo justus mereri potest ^{130.} alteri de condignò veniam peccati mortalis. Ergo et pro eo condignè satisfacere.

Resp. neg. ant. Nam Patres generaliter, et indistinctè docent, puram creaturam non posse simpliciter offerre pretium condignum pro peccatò: quòd proinde intelligi debet de pretio condignò live per modum meriti, live per modum satisfactionis. Ratio est, quia finiti ad infinitum nulla est proportio; meritum autem hominis puri est quid finitum, peccatum vero mortale infinitum.

Inst. 1^o Homo justus potest mereri ^{131.} de condignò gratiam sanctificantem alteri etiam injustò. Ergo et veniam peccati mortalis.

Resp. neg. ant. Quia licet justus augmentum gratie sanctificantis sibi mereri possit de condignò, non tamen idè gratiam sanctificantem mereri condignè potest peccatori, nam justus non potest gratiam sanctificantem mereri peccatori, quin ei veniam peccati mortalis mereatur. Quia autem creatura veniam peccati mortalis mereri non potest de condignò, cum pro illo condignè satisfacere non possit.

Inst. 2^o Purus homo justus satis ^{132.} facere condignè potest pro peccatò veniali.

2. 26

140. Ergo et pro mortali; utrumque enim ratione
Dei offensi est infinitum.

Resp. trans. ant. quod à multis
negatur, et quâ de re in *Treatatu de pec-*
catis agemus. neg. cons. Nam peccatum
veniale, utpote culpa levis, non est con-
temptus Dei ne virtualis quidem, nei in-
trinsecè, sicut peccatum mortale, sed ex-
trinsecè duntaxat infinitum: unde ejus
gravitas non estimatur secundum digni-
tatem Dei, quæ per illud contemnitur;
ideoque non est fortasse incompensabilis
à purâ creaturâ. At culpa mortalis, cum
sit contemptus Dei, estimatur secundum
infinitam ejus dignitatem, sicque habet
gravitatem infinitam simpliciter, pro-
indeque incompensabilem à purâ crea-
turâ.

133.

Ob. 15.º Homo justificatus po-
test adjunctus gratiâ actuali de condignô sa-
tisfacere pro poenâ temporali, quæ de-
betur illius peccatô jam quoad culpam
dimissô. Ergo à pari potest pro culpa
ipsâ satisfacere.

Resp. neg. cons. Ratio est, quia
satisfactio pro poenâ temporali fit quidem
ab homine purô sed ex præsuppositis me-
ritis Inarnationis, ut docet Concilium
Trident. Sess. 14. c. 8. E contra Satisfac-
tio pro culpa seu ipso peccatô, in supposi-
tione, de quâ agitur, fieret independen-
ter à meritis personæ infinite; ac provin-
de non esset æquivalens injuria, quæ Deo
per peccatum illata fuisset.

134.

Ob. 16.º Patres Sapientis asserunt,
mortem Christi non fuisse necessariam ad
condignam pro peccatis Satisfactionem.

Ergo nec Inmarnatio fuit necessaria, p.

Resp. neg. cons. Ratio, quia alia propter mortem opera Christi fuerunt pretii infiniti, quippe quae à personâ infinita Sanctitatis processerint: unde eorum meritum fuit aequale gravitati injuria, quâ creatura per peccatum Creatorem affecit: Hincque sequitur, mortem non fuisse necessariam, nisi quia Christus alia sua opera ad completam hominis redemptionem non ordinavit.

Caput Quartum.

De Motivò Incarnationis.

Motivum est id, quod operantem movet ad agendum. Operans autem movetur vel à clientum meritis, vel à fine, quem sibi proponit. Quaerunt ergo hii Theologi, an aliqua creaturarum merita Incarnationem processerint; item, ob quem finem Verbum carnem induerit. 1.º igitur agendum nobis de causâ meritoria; 2.º. de causâ finali Incarnationis.

S. Primus.

De causâ meritoria Incarnationis.

Meritum dividitur in meritum de condigno, et in meritum de congruo. Primum est illud, cui strictò jure merces debetur, ita ut sine injuria negari non possit: alterum est illud, cui primum conceditur quidem, sed ita, ut absolute negari possit, et etiam actu aliquando denegetur. Iusti de condigno, prout suo loco dicitur, meren-